

Cum...
...
Item...
...
Dicitur...
...
Item...
...
Item...
...
Item...
...



2

Libellus
DE FIGV=
RIS GRAMMA-
TICIS

*In usum Scholæ Altenbur-
gensis editus*

à

M. IOHANNES HAMME-
RICO, SCHOLÆ EIUSDEM
Rectore.



Hale Sax. Apud Ioachimum Krusicken.
ANNO M.DC.XIII.

Johann Hammerich



Bona & præclara indolis adolescentulis

JOHANNI ANDREÆ,
ET CHRISTOPHORO
WEXIIS,

Nec non

HENRICO, ET HIERONY-
MO THURSIIS, FRATRI-
bus germanis;

Magnificorum, clarissimorum, atq;
optimorum Virorum, Dn. JOHANNIS
WEXII, J. U. D. & Dn. HENRICI THUR-
SII, Illustrissimi Principis ac Domini, Dn.
IOHANNIS, Ducis Saxonæ, &c. illius
Cancellarii; huius vero Secretarii, Filiis;

*Discipulis & affinis suis carissimis, hunc
de Figuris Grammaticis libellum, amo-
ris pignus ac monumentum
perpetuum*

Offert, dedicat, consecrat

*M. Johannes Hammericus, Scholæ
Altenburg, Rector.*



DE FIGURIS GRAMMATICIS.

Quid sunt Figure Grammaticæ?

FIGURÆ Grammaticæ sunt con-
 formationes quædam verborum
 aut Orationis, præter commu-
 nem Grammaticam loquendi scribendi-
 que consuetudinem adhibitæ.

Quot sunt earum genera?

Duo: Unum Dictionis seu singulorum
 verborum: Alterum Orationis seu verbo-
 rum coniunctorum.

I. FIGURÆ DITIONIS.

Quotuplices sunt Figure Dictionis?

Duplices. Aliæ enim ad Orthographi-
 am referuntur, quibus literarum; aliæ ad
 Profodiam, quibus syllabarum simplici-
 tas immutatur.

De Orthographiæ Figuris.

Quot sunt Figure Orthographiæ?

Octo: Prosthesis, Epenthesis, Parago-
 ge, Aphæresis, Syncope, Apocope, Meta-
 thesis, Antithesis.

Hæ in tres ordines distinguuntur. Quædam
 enim redundantiam habent literarum, aut syllaba-
 rum,

z

DE FIGURIS

rum, ut πρόθεσις, ἐπιθέσις, παραγωγή. Quædam defectum ac prætermissionem, ut ἀφαιρέσις, συγκοπή, ἀποκοπή. Quædam denique transpositionem atque immutationem quandam, ut μετάθεσις & ἀντίθεσις. Dicuntur autem, ut & Προσδικæ, generali nomine μεταλλάξεις. quia sic immutant vocabula, ut à simplici sua forma deflexa videantur. Est enim Metaplasma transformatio quædam literarum, Syllabarum, aut temporum in dictionibus, præter vulgarem loquendi & scribendi rationem, facta vel necessitatis, vel ornatus gratia.

Quid est Prosthesis?

PROSTHESIS, Latinè Appositio, est adjectio literæ, vel Syllabæ ad principium dictionis. ut, gnatus, pro natus; tetuli, pro tuli.

Quid est Epenthesis?

EPENTHESIS, Latinè Interpositio, est literæ, vel syllabæ in medio dictionis interjectio. ut, relligio, pro religio, navita, pro nauta; induperator, pro imperator.

Hæc etiam διπλασιασμός dicitur, cum eadem litera geminatur. Et πρῆμιωσις, cum litera diversa interponitur. Et ἐπιεκτασις, quando syllaba superflua intercedit.

Quid est Paragoge?

PARAGOGE, Latinè Adductio est, literæ, vel Syllabæ ad finem dictionis ad-
 junctio:

unctio: *ut, dicier, pro dici: potestur, pro potest:*
hujusce, pro huius.

Eadem $\pi\rho\sigma\pi\rho\alpha\lambda\eta\psi\iota\epsilon$, vel $\pi\rho\sigma\pi\rho\alpha\lambda\eta\psi\iota\epsilon$ dicitur,
 cum literæ tantum in fine verbi fit assumptio: *ut*
Cur istuc ex te audio, pro ex te Plaut. Amphit.

Quid est Aphæresis?

APHÆRESIS, Latinè Ablatio, est
 literæ vel syllabæ à principio dictionis
 abjectio: *ut, ruit, pro eruit: temnere, pro con-*
temnere: relinquere, pro relinquare: ponere, pro
deponere.

Quid est Syncope?

SYNCOPE, Latinè Concisio, est literæ
 vel syllabæ in medio dictionis extinctio:
ut, dixti, pro dixisti: accessis pro accessistis: re-
postum, pro repositum: putaram pro puta veram:
virum, pro virorum.

Quid est Apocope?

APOCOPE, Latinè Abscisio, seu am-
 putatio, est literæ vel syllabæ à fine dictio-
 nis ablatio: *ut, negoti, pro negotij: peculi pro*
peculij: metu, pro metui: tun' pro tu ne. Ali-
quando Syncope & Apocope concurrunt: ut,
vin' pro vis ne: audin' pro audis ne.

Efferuntur etiam, per Apocopen hi quatuor
 imperativi, dic, duc, fac, fer; *ut ne videantur esse*

R

nomina

DE FIGURIS

nomina, dice à δίκη, duce à dux, face à fax, ferè à ferus. Nota abscissionis est vel circumflexus accentus ultimæ vocali impositus; vel, quod alijs placet, litera majuscula.

Quid est Metathesis?

METATHESIS, Latine Transmutatio, est literarum quædam transpositio: ut, *Tymbre*, pro *Tymber*: nisi *Vocativum esse malis*, à *Nominativo Tymbrus*. Sic, *pistris*, pro *pristis*. Et apud Græcos, *καθ' ἴα*, pro *καθ' ἰα*.

Quid est Antithesis?

ANTITHESIS, sive *αντισησων*, Latine Inmutatio vel demutatio, est literæ pro litera positio: ut, *Olli*, pro *illi*: *Opilio*, pro *opilio*; *impete*, pro *impetu*: *plastrum*, pro *plastrum*. Optumè *optimo optumam operam das*: pro *optimè optimo optumam*. *Plaut. Amphit.*

De Profodiæ Figuris.

Quot sunt Figure Profodiæ?

Sex: *Diæresis*, *Synæresis*, *Synalœphe*, *Elipsis*, *Ectasis*, *Systole*.

Hi *Metaplasmi*, qui in legitima dimensione atque scansione versuum solent adhiberi, ita distinguuntur, ut Alii quidem occupentur in Syllabis, iisque vel augendis, ut *δ' ἰαίγατε*: vel minuendis,

GRAMMATICIS

dis, ut συναίρεσις, συναλοιφή, ἑκδλίψις: Alij verò in temporibus vel producendis, ut ἑκτασις, vel corripendis, ut δυστολή.

Quid est Diæresis?

DIÆRESIS, Latinè **Divisio**, est unius syllabæ in duas diductio: ut, *Aulai*, pro *aula*: *dissolventa*, pro *dissolvenda*.

Hæc interdum διαλύσις, vel διαζυξις vocatur.

Quid est Synæresis?

SYNÆRESIS, Latinè **Contractio**, est duarum syllabarum in unam conglutinationis: ut, *Fixerit aripedem cervam licet*: pro *aeripedem*, id est, *celerem*. *Sint Macenates*, non *dêrunt*, *Flacce, Marones*: pro *deêrunt*. *Jamq; eadem digitis*, *jam pedine pulsat eburno*: pro *eburneo*.

Quidam ἐπισυναλοιφῶν: item βαυεκαφώνησις, aut σιωζυθισιν nominant: itemque κρᾶσις, quando vocales eoalescentes mutantur.

Quid est Synalœpha?

SYNALŒPHA, Latinè **Delectio**, est vocalis in fine dictionis ob sequentem vocalem elisio: ut, *Carthag' Italiam contra*: pro, *Carthago*. *Quocunq; aspexit, nihil est nisi mortis imago*: pro, *quocunq;*.

Nota: $\chi\alpha\beta\mu\omega\delta\iota\alpha\omega$, id est, Hiatum carminis vocant, quando prior vocalis non eliditur, ut, *E* longum formose vale, vale, inquit, Jola. Item, *S*tant & *J*uniperi, & castanæ hirsutæ.

Quid est Ecthlipsis?

E C T H L I P S I S, Latine Elisio, est consonantis *M* in fine dictionis cum vocali præcedente inter scandendum suppressio: ut, *Audend' est fortes adjuvat ipsa Venus: pro, audendum. Monstr' horrend' informe, in gens, cui lumen ademptum: pro menstrum horrendum.*

Sic olim veteres literam *S* elidebant, ut, *Au ovium foet' aut utentes culta capellas: pro foetus, Inter se consille vir', & decernere ferro: pro, viros.*

Quid est Ectasis?

E C T A S I S, Latine Productio, est syllabæ naturâ brevis, an anticipis extensio: ut, *I-taliam fato profugus, Lavinaq; venit Littora, &c. I productum, pro I correpto. Exercet Diana choros: Di longum, pro di brevi. Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.*

Aliâs vocatur hæc figura $\delta\iota\alpha\sigma\tau\alpha\lambda\iota$, à $\delta\iota\alpha\sigma\tau\alpha\lambda\epsilon\mu$ diducere.

Quid est Systole?

S Y S T O L E, Latine Correptio, est syllabæ naturâ longæ, metri causâ, contractio:

atio: ut, Connubio jungam stabili: nu brevi,
pro nu longa. Et, Obstupui, steteruntq; comæ, &
vox faucibus hasit. Item, Vade, vale. Cave ne ti-
tubes, mandataq; frangas.

Versus de Orthographiæ & Pro- sodiæ Figuris.

Πρόθεσις apponit caput id, quod Αφαιρέσις, aufert.

Syncope de medio tollit, quod Επένθεσις auget.

Αποκοπή tollit finem, quem dat Παραγωγή.

Corripit, ut steterunt, ducendam Systole vocem.

Εκτασις Italianam producit corripientiam.

Syllaba de binis facta extat Επισυναλοιφή.

Dicitur in binas partire Διοίρεσις, unam.

Μεκατ Επιδίφθεσις: vocalem aufert Συναλοιφή.

Αντίθεσις noris, aut Αντιστοιχου haberi.

Occupet alterius sociam si litera sedem.

Ordo μετάθεσις est mutatus literularum.

FIGURÆ ORATIONIS.

Quid sunt figuræ Orationis?

Quæ ad Syntaxin pertinent, quibus
committitur aliquid, quod est contra
consuetas constructionis regulas.

Quot modis hoc accidit?

Quatuor modis: 1. Redundantiâ qua-
dam verborum. 2. Defectu. 3. Immutatio-
ne. 4. Transpositione.

R 3

De

De Figuris Syntaxeos i. ordinis ad redundantiam verborum spectantibus.

Quam dicis Redundantiam?

Eam, quã ad sensum verbi vel verborum iam absolutum adduntur quædam, quæ videntur prætermitti potuisse. Huius generis sunt hæc Figure sex: Epithece, Epitheton, Pleonasmus, Perissologia, Tautologia, Macrologia.

Quid est Epithece?

EPITHECE, Latine Appositio, est duorum vel plurium Substantivorum, ad eandem rem pertinentium, in eodem casu, nulla intercedente conjunctione, collocatio: ut, *Urbs Roma. Flumen Rhenus. M. Tullius Cicero Orator.*

Nec refert, siue ejusdem, siue diversi generis aut numeri sint substantiva, modò in casu conveniant: ut, *Urbs Athenæ. Romani gens valida. Fama malum.*

Quid est Epitheton?

EPITHETON, Latine Additum vel Adjunctum, est adjectivum, quod proprio nomini vel substantivo significandi gratiã

gratiâ apponitur: ut, *alma Ceres: Divinus Plato. Turpis egestas. Mobile vulgus.*

Quid est Pleonasmus?

PLEONASMUS, Latine Superfluitas, est, unius, aut plurium dictionum, ad legitimam constructionem atque sensum non necessariorum, adjectio: ut, *Hisce meis oculis egomet vidi. Sic ore locuta est. Interea loci cognovi te. Nusquam gentium. Ubi (hisce meis oculis egomet; ore, loci, gentium) in sensu redundant. Sub Pleonasmis etiam PARELCON continetur, Latine Productio seu Adjectio, Cum scilicet dictioni alicui explendi vel ornandi gratiâ adijcitur in fine syllaba; nihil ad sensum faciens: ut, *Ades dum. E hoc dum ad me. Hoc tu facito dum animo cogites.**

Quid est Perissologia?

PERISSOLOGIA, Latine Redundantia sermonis, est verborum supervacanea sine ullâ vi rerum, adjectio: Cum scilicet superflue repetitur, quod jam dictum est: ut, *Legati non impetratâ pace, retrò domum, unde venerant, reversi sunt. Faciem mutatus, & ora Cupido.*

Hęc Figura, & proximę sequentes duę, inter

R 4

O ratio.

Orationis itidem morbos ac vitia numerantur:
Veruntamen à probatis eitam Scriptoribus in as-
severando usurpantur.

Quid est Tautologia?

TAVTOLOGIA, Latinè Nugatio, est
ejusdem verbi vel sententiæ inanis repe-
titio: ut, *Si datur Italiam socijs & rege recepto,
Tendere, ut Italiam lati Latiumq; petamus.
Virgil. 1. Æneid.*

*Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Ætherea, nec adhuc crudelibus occubat umbris.
Æneid. 1.*

Quid est Macrologia?

MACROLOGIA, Latinè Prolixitas, est
fermo justo longior, res non necessarias
comprehendens: ut *Æneid. 12.*

*Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemq; elatis naribus efflant.*

De Figuris Syntaxeos ordinis 2. in de-
fectu verborum consistentibus.

Quæ Figure Syntaxeos consistunt in defectu?

In quibus aliquid desideratur, quo mi-
nus integra sit constructio. Harum sunt
etiam sex: Eclipsis, Aposiopesis, Syllepsis,
Zeugma, Prolepsis, Anantapodoton.

Quid

Quid est Eclipsis?

ECLIPSIS, Latinè Defectio, est dictionis ad legitimam constructionem necessariæ in sensu omisio, quæ vel foris sit petenda, vel subaudienda, vel ex cæteris verbis supplenda: ut, *Rectâ venit ad me, sc. via. Ad Dianam, sc. templum vel ædem.*

Fit Eclipsis in quavis Orationis parte. Primum enim est Eclipsis Nominis; ut, *Ad Opem, subaudi ædem, vel templum, vel fanum. Castra aberant bidui, sc. itinere. Implentur pinguis ferinæ, sc. carnis. Habilior paulò, sc. aliis, cæteris, quam decet. Paucis te volo, sc. verbis alloqui. Hic sævus tendebat Achilles, sc. tentoria, vel pelles. Non posteriores feram, sc. partes. Quartana se. febris. Complectar brevi, sc. oratione. Tuum est, se. officium. Ex quo, Ex illo, sc. tempore. Natalis, se. dies. Secundò, Pronominis; ut, *Quod si me Lyricis versibus, sc. tu. Sublimi feriam sidera vertice, sc. ego. Oramus, sc. nos. Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni, sc. eam, vel quam. Tertio, Verbi & Participii; ut, *Sed vos, qui tandem? sc. estis. Quid multa? sc. dicam. Puerò opus est cibum, sc. dare. Hinc mihi prima labes, sc. orta vel nata est, extitit. Sed hæc & alia coram, sc. agemus, tractabimus. Epistola librarii manu est, sc. scripta. Signa ad salutem, omnia huic esse video, sc. spectantia. Cicerone Consule, sc. existente. Quarto, particularum indeclinabilium; ut, *Ve-****

R s

nit

nit ad me pridie, quam discederet, sc. antè. Postri-
die, quam à vobis discessi, sc. post. Cave putes, sc. ne.
Quarto Calendas, Nonas, Idus Maii, sc. antè. Itali-
am venit, sc. in vel ad, quod Poetæ permissum est.
Negat quis, nego, pro si negat. Plus millies audivi;
pro, quam millies. Me miserum! sc. ô, vel heu.

Quid est Apostrophia?

APOSTROPHIA, Latinè Retinentia,
seu Præcisio, est imperfecta Oratio, quâ
ex affectu aliquo supprimitur ac recite-
tur quod dici coeptum fuerat: ut, Terenti-
us: *Quid ais omnium? scil. perditissime. Quem
ego si sensero? sed quid opus est verbis? si sense-
ro, scil. illum quicquam moliri fallaciæ, probè
puniam. Virg. Quos ego: sed motos præstat com-
ponere fluctus. Quos ego, scil. pœnâ afficiam me-
ritâ. Sic in sacris: Anima mea turbata est val-
de: sed tu Domine usq, quo? scil. differes auxili-
um. Fit interdum præcisio per transitionē. Virg.
Nec requievit enim, donec Calchante ministro,
Sed quid ego hæc autem? Deest, donec Calchân-
te ministro, quod voluit, perfecit.*

Apostrophia differt ab Eclipsi. Eclipsis enim fit,
cum sine affectu omittitur aliquid, quod frequen-
ter contingit propter facilem intellectum. Apostro-
phia

opelis vero, cum per affectum iræ, indignationis, timoris, pudoris, gaudii, &c. aliquid subticetur. Qui enim huiusmodi aliquo commovetur affectu, plus gestu loquitur, quam verbis.

Quid est Syllepsis?

SYLLEPSIS, Latine Conceptio, est duorum pluriumve substantivorum cō-junctio per verbum aut adjectivam plurale, quod præstantiori respondet: *ut, Ego & Cicero valemus. Dominus & familia religiosi. Furor, iraq; mentem præcipitant.*

Præstat autem genus masculinum foeminino aut neutro, foemininum neutro; Numerus, pluralis singulari persona prima, secundæ & tertiæ, & secunda tertiæ: Nominativus casus obliquis.

Quotuplex est Syllepsis?

Quadruplex. Est enim Syllepsis diversorum vel Generum, vel Numerorum, vel Personarum, vel Casuum. 1. Generum: *ut, Rex & regina beati. Mutciberis capiti Marsq; Venusq; dolis. Bos & jumentum sunt ad præsepe ligati. Ancilla, & hoc animal nostra sunt.*

Hæ conceptiones sunt perfectæ expressæ. Est & imperfecta seu implicita, in qua nullum genus expressè ponitur, sed tantum subintelligitur: *ut, Vterque est beatus, scilicet maritus & uxor. Vterque*

que

que erat nudus in paradiso, scilicet Adam & Eva.

2. Numerorum: ut *Milites & Imperator pugnans. Aeneid. 4. Dum fata Deusq; sinebant vixi, &c. Livius: Cum terra Nabis & Lacedaemonij, mari Romana classis urgebant.*

3. Personarum: ut, *Ego & suavissimus Cicero valemus. Hac neq; ego, neq; tu fecimus. Egregiam verò laudem & spolia ampla refertis. Tuq; puerq; tuus.*

4. Calum: Hac solet fieri per Praepositionem CUM, pro Et captam. ut, *Ego cum patre veniemus. Vagamur egentes cum conjugibus & liberis. Remo cum fratre Quirinus Jura dabunt.*

Observatio.

Cum Syllepsis Generum solum locum habeat in Substantivis rerum animatarum, ut videre est in superioribus exemplis; de aliis substantivis inanimatarum tenenda est haec sequens Regula: Altera Syllepsis species est, Cum duobus vel pluribus substantivis rerum inanimatarum adjectivum plurale neutrum Graecâ consuetudine subjicitur: ut, *Terra & aqua sunt à Deo condita. Nox & praeda hostem remorata sunt. Præterea divitia, de-*

*ria, decus & gloria in oculis sita sunt. Cum Daph-
nidis arcum fregisti & calamos, quæ tu perverse
Menalca, &c.*

Hæc exempla à nonnullis ad Græcam Enal-
lagen Generum referuntur.

Cum tamen duo substantiva sunt eiuf-
dem generis, Adjectivum potest inter-
dum cum iisdem in Genere convenire:
*ut, calamus & cultellus sunt boni Famæ atq; for-
tuna eorum partes sunt. Sallust. Grammaticæ
quondam ac Musicæ junctæ fuerunt. Quin-
til. Misericordia atq; perfidia pari jure deiectæ. Ju-
stinus. Fors eadem Ismarios Hebrum cum Stri-
mone siccat. Ovid.*

Quid est Zeugma?

ZEUGMA, Latinè Adjunctio, seu Iu-
gatio, est, cum diversis substantivis ver-
bum vel adjectivum additur, quod cum
propiore tantum consentit: *ut, Semper ho-
nos, nomenq; tuum laudesq; manebunt. Hic il-
lius arma, Hic currus fuit. Caper tibi salvus &
hædi.*

Quotuplex est Zeugma?

Triples: Prozeugma, Mesozeugma, &
Hypozeugma.

Quid

Quid est Prozeugma?

Prozeugma sive προζευγμα est, cum verbum vel adjectivum ponitur in principio: ut, *Salutem tibi dicit Lepta, & omnes. Mihi non datum est forum, non campus, non curia, non domus, non lectus.*

Quid est Mesozeugma?

Mesozeugma est, cum verbum vel adjectivum ponitur in medio: ut, *Lepta tibi salutem dicit, & omnes. Mihi non forum, non campus, non curia data est, non domus, non lectus.*

Quid est Hypozeugma?

Hypozeugma est, cum verbum vel adjectivum ponitur in fine: ut, *Lepta, & omnes tibi salutem dicunt. Mihi non forum, non campus, non curia, non domus, non lectus datus est.*

Differt Zeugma à Syllepfi. In Syllepfi enim verbum vel adjectivum respondet digniori: In Zeugmate propiori.

Quid est Prolepsis?

PROLEPSIS, Latine Præoccupatio seu Anticipatio, est positio Totius, cui partes ita subiiciuntur, ut verbum vel adjectivum, conveniens cum toto, à partibus innumero discrepet: ut, *Discipuli discunt; hic na viter, ille rennisse. Omnes student; hic literis po-*

vis politioribus, ille literis sacris. Milites redeunt: hic ex Hispaniis, ille ex Gallis. Ego vapulando, ille verberando usque, ambo defessi sumus. Curemus aquam uterque partem; ego meam partem, tu tuam.

Ad Prolepsin quinque requiruntur: 1. Totum sive generale. 2. Partes totius. 3. Ordo, ut totum precedat partes. 4. Determinationes, quæ partium discrimen indicant. 5. Proprietas, id est, verbum vel adiectivum, quod toti cohereret, & à partibus discrepat. Unde hinc Prolepsis non est. Pueri discunt, hi Dialecticam, illi Rhetoricam.

Quid est Anantapodoton?

ANANTAPODOTON, Latine carens redditione est, Cum antecedenti posito consequens non responderet, ut non absoluta appareat Oratio: ut, *Virg. 1. Aeneidos: Si datur Italiam, sociis & rege recepto, Tendere, ut Italiam lati, Latiumque petamus: Sin' absumpta salus, &c.* Hic Protasis seu prius membrum duntaxat ponitur, omissa redditione, quæ talis esse debebat: *gratos nos cognosces.*

Vsus huius Figuræ maior apud Græcos est scriptores & Atticos, atque Poetas, quam apud Latinos in soluta Oratione.

De

De Figuris Syntaxeos III. Ordinis,
in immutatione verborum oc-
cupatis.

*Quæ Figuræ Syntaxeos occupantur in verbo-
rum immutatione?*

In quibus integra quidem verbis, sed non legitimis illis, aut regularibus, efficitur constructio. Tales sunt hæ septem: Hypallage, Hendiadys, Enallage, Synthesis, Hellenismus, Anacoluthon, Archaismus.

Quid est Hypallage?

HYPALLAGE, Latine Submutatio, est, Cum Oratio converso rerum ordine effertur: ut, *Virg, Odium crudele tyranni: pro crudelis tyranni. Idem, Sceleratam intorserat hastam: pro, ipse sceleratus. Idem, Ibant obscuri sola sub nocte: pro, Ibant soli sub obscura nocte. Id. Date classibus Austros: pro, Date classes Austris. Cic. pro Marcello: Gladius vagina vacuus: pro, Vagina gladio vacua.*

Quid est Hendiadys?

HENDIADYS vulgò, Græcè ἐν δὶα δ'ὄψιν est, Cum unum in duo dividitur: quod fit
εὐμ

cum Oratio Adjectivi & Substantivi, aut Substantivi cum altero Substantivo Genitivo casu juncti, mutatur in duo Substantiva ejusdem Casus per Conjunctionem copulata: ut, Virg. Pateris libamus, & auro: pro, pateris aureis. Idem, Chalybem frenosq; momordit: pro, Chalybeos frenos. Idem, Molemq; & montes insuper altos: id est, molem aliorum montium. Idem, In partem & pradam: id est, in partem pradae. Idem, Unus natorum Priami per tela, per hostes Porticibus fugit: id est, per tela hostium.

Figura est Poëtis frequens, & inter hos Virgilio familiaris.

Quid est Enallage?

ENALLAGE, Latinè Permutatio, est, per quam eadem manente sententiâ commutantur inter se vel orationis Grammaticæ partes, vel partium ipsarum attributa, quæ vulgò vocant accidentia.

Quotuplex est Enallage?

Duplex: Antimeria, & Heretosis.

Quid est Antimeria?

S

ANTI-

ANTIMERIA, est Enallage, quâ partes Orationis inter se commutantur: Unde hæc prior species nõ ineptè Enallage partis à nonnullis appellatur: ut, *Scire tuum: pro, tua scientia. Velle suum cuique est: pro sua cuiq; voluntas Lubens, pro lubenter. Recens natus: pro recenter, quod est inusitatum. Torvum videt: pro, torvè. Sublime volat: pro sublimiter. Magnum stridens: pro valdè. Virg. Solustibi certet Amyntas: pro tecum. Sic eleganter, Cùm, pro, quo die, vel quo tempore ponitur. Cic. Utinam illum diem videam, cùm tibi agam gratias. Vivunt Bacchanalia, pro Bacchanaliter. Opus est factò, pro, facere seu fieri. Opus est maturato: pro maturare. Virg. Ante leves ergo pascentur in æthere cervi: pro, priùs. Sallustius: Hyemem atq; æstatiem juxtà pati: pro, æquè. Dignares est, ubi nervos intendas tuos: pro, in quâ, &c. Vide Thom. Linacrum lib. 2.*

Quid est Heterosis?

HETEROSIS, quæ dicitur aliis ἀλλοίωσις, est, quâ permutantur partium Orationis accidentia: Unde hanc speciem

ciem rectè vocant Enallagen Acciden-
tis.

Quot sunt ejusmodi?

Septem potissimum : 1. Enallage
casuum, quæ ANTIPTÔSIS dicitur,
cùm casus pro casu ponitur : ut *Virgil.*
Urbem, quam statuo, vestra est : pro, urbs ve-
stra est, quam statuo. Plautus : Naucratem,
quem convenire volui, in navi non erat : pro,
Naucrates. Terent. Eunuchum, quem dedisti
nobis, quas turbas dedit : pro Eunuchus. Virg.
Proijce tela manu sanguis meus : pro, mi. Per-
sus : Vos, ô patricius sanguis : pro, patricie.
Horat. Maeste virtute esto : pro, maestus. Virg.
Hæret pede pes : pro, pedi.

2. Enallage Generum, Cùm genus
cum genere commutatur : ut, *Virg. Dul-*
ce satis humor : id est, res dulcis. Triste lupus
stabulis : id est, res tristis. Sistunt amnes : pro,
stant, vel sistuntur. Nox præcipitat : pro præci-
pitatur. Ardebat Alexin : pro, valdè amabat.
Cic. pro S. Roscio : Quo uno maleficio scelera
omnia complexa esse videntur : pro compre-
hensa.

Si

3. Enal-

3. Enallage Numerorum, cum numerus pro numero ponitur. Terent. *Cur te in his conspicio regionibus? pro in hac regione.* Idem, *Adeon' homines immutarier ex amore, ut non agnoscas eundem esse: pro eosdem,* Ovid. *Nostros vidisti flentis ocellos: pro flentium.* Est & illa Numerorum Enallage, Cum verbum Substantivum, contra rationem, in numero convenit cum posteriore Nominativo: ut, Terent. *Amantium iræ amoris redintegratio est: pro, sunt.*

4. Enallage Personæ, Cum persona pro personâ ponitur: Terent. *GETA. Si quis me quæret rufus. DAVUS. Presto est: pro, presto sum.* Nam de se loquitur. Idem, *Quid agas cum eo, qui nihil intelligit? pro quid agere quis posset.* Huc referri potest *EVOCATIO*, Græcè ἐκκαλοῖε, Cum verbo primæ vel secundæ personæ Nominativus tertiæ preponitur: ut, *Ego Virgilius lego. Tu Apollonius scribis. Nos Poma natamus. Interrogatus responde. Plautus: Tum demum homines nostra intelligimus bona, cum quæ in potestate habuimus, ea amisimus.*

5. Enal-

5. Enallage Modorum, Cùm modus pro modo ponitur: ut, Cicer. *Sed valebis, meaq; negotia curabis*: pro, vale, & cura. Virgil. *Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras*: pro, impulisset. Idem, *Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto*: pro, eris. Terent. *Ab, si pergis, abiero*: pro, abibo. Frequens Enallage modi est, cùm in narrando Infinitivo pro imperfecto Indicativi utimur: ut, Terent. *Facile omnes perferre ac pati*: pro, perfererebat, ac patiebatur. Idem, *omnes invidere mihi*: pro, invidebant. Idem, *Ego illud sedulo negare factum*: pro negabam.

Est etiam, ubi Infinitivus ponatur pro præterito perfecto Indicativi: ut, Terent. *Ille ruri agere vitam, semper parcè ac duriter se habere*: pro egit, & habuit.

6. Enallage Temporum, Cùm tempus pro tempore ponitur: ut, Terent. *Tu si hic sis, aliter sentias*: pro esses, & sentirees. Virgil. *Vulnus alit venis*: pro, alebat. Idem, *Progeniem sed enim Trojano à sanguine duci*. Audierat: pro, ducendam esse. Livius: *Si tales animos in prælis habebitis, quales hic*

ostenditis, vicimus: pro, vincemus. Terent.
 Nam si esset, unde id fieret, faceremus: pro, fu-
 isset, fecissemus. Cic. Te ad me fore venurum:
 pro, esse.

7. Enallage partium indeclinabilium
 ferè consistit in mutatione significatio-
 nis: Terent. Hic ego illum contempsi præ me:
 pro tunc. Idem, Ibi homo cæpit me obsecrare:
 pro tunc. Adoleseens benè nobilis & doctus:
 pro, valdè. Nihil pejus odi: pro, magis. Virg.
 Dum pelago desævit hyems & aquosus Orion:
 pro, donec. Idem, In nemus ire parant, ubi pri-
 mos crastinus ortus Extulerit Titan: pro,
 cum.

Quid est Synthesis.

SYNTHESIS, Latinè Compositio,
 est, cum nomini multitudinis singulari
 verbum vel adjectivum plurale respon-
 det: Itemque, cum substantivo quali-
 cunque adjectivum diversi generis sub-
 jicitur, quod ad sensum & intellectum,
 non ad vocem refertur.

Modos habet tres: Primum in Nu-
 meris diversis: ut, Ovid. Pars volucres
 factæ.

facta. *Virg.* Pars epulis onerant mensas. *Ovid.*
Turba ruunt.

Alterum in Generibus diversis: ut,
Terent. In Eunuchum suam: scil. Fabulam,
vel Comœdiam. *Virg.* Centauro invehitur
magna, scil. navi. *Livius.* Samnitum castris
millia. *Terent.* Scelus postquam ludificatus est
virginem: id est, sceleratus. *Idem,* Dij, Deaq;
omnes illum senium perdant, qui me hodie re-
moratus est, pro senem.

Tertium in utrisque: ut *Virg.* Hic ma-
nus ob patriam pugnando vulnera passi. *Sallu-
stius:* Maxima pars vulnerati.

Referrî potest Synthesis partim ad Numero-
rum, partim ad Generum Enallageu, partim ad
utramque.

Quid est Hellenismus?

HELLENISMUS, Latinè Græci-
smus, est Græca constructio, cum videli-
cet ad Græcorum imitationem à genui-
nâ Latini sermonis structurâ receditur.
Hæc Hellenica syntaxis seu constructio
variè committitur:

Primum, per πλεονασμὸν, redundanti-
am aliquam verborum: ut, *Virg.* 3. *Georgi-*

corum: Oestron Graij vertère vocantes. Idem
2. Aeneid. Divùm amplexæ simulachra tene-
bant. Ibidem, Clypeoq; sinistram insertabam
aptans. In his redundant participia vocantes,
amplexæ, aptans.

Redundat nonnunquam per eandem Fi-
guram conjunctio Neg. Terent. Phorm. GE-
TA. Negat. PHOR. Neg. ejus patrem se scire
quis fuerit? GETA. negat.

Secundò per ἔνδεσσις, defectum: ut,
Virg. Justitiæq; prius mirer, belli ne laborum
scil. causâ vel gratiâ. Horat. Sunt, quos curri-
culo pulverem Olympicum collegisse iuvat.
Sunt, scil. aliqui. Sic Deiphobe Glauci: scil.
filia. Hectoris Andromache: scil. uxor. Terent.
Forte hujus video Birrbiam: scil. servum. Est
& Græca Ellipsis, cum in citandis auctoribus
utimur Ablativo sine Præpositione IN: ut,
Virgilius Aeneide. Plautus Aululariâ. Paulus
prior ad Corinthios capite tertio. Huc refertur
& SYNECDOCHE, Latinè intellectio,
Cum nomen Adjectivum vel verbum
conveniens cum Toto adsciscit accusa-
tivum, qui partem aliquam totius si-
gnificat: Est enim hic Græca Ellipsis Præpo-
sitionis

fitionis. Secundum, ut Græcis κατὰ. Virg. Nuda genu, nodoq̄, sinus collecta fluentes. Idem, Omnia Mercurio similis, vocemq̄, coloremq̄, Et flavos crines, & membra decora juventa: sc. κατὰ. Idem. Expleri mentem nequit. Horat. Miles tam fractus membra labore. Virg. Micat auribus & tremit artus.

Sed Ablativus casus Latinis usitator est.

Tertiò, per Ευαλλαγῶν, mutationem vel Generum: ut, Terent. Vel virtus tua, vel vicinitas, quod ego in propinquâ parte amicitia puto. Idem, Qui habet salem, quod in te est. Vel Casuum & Constructionis: ut Catullus: Faselus ille, quem videtis hospites, ait fuisse navium celerrimus. Lucanus: Tutumq̄, putavit, jam bonus esse socer. Ovid. Acceptum refero versibus esse nocens. Talia sunt hæc Pliniana: plani piscium. Canum degeneres. Nigra lanarum. Ovorum oblonga. Virgil. Descendam magnorum haud unquam indignus avorum. Horat. Desine curarum: pro à curis. Terent. Facite, ut vobis decet: pro, vos. Virgil. Nec cernitur ulli: pro, ab ullo. Idem, Arcebis gravido

pecori: pro, à pecore. Idem, Solstitium pecori defendite: In quo exemplo etiam Hypallage est; pro, Defendite pecus à solstitio, hoc est, àstu solstitiali: Ovidius. Cæpto pugnemus amori: pro, cum cæpto amore. Idem, It clamor cælo: pro, ad, vel in cælum. Idem, Belloq; animos accendit agrestes: pro, ad bellum. Terent. Commigravit huic vicinia, pro, in hanc viciniam. Id atatis, pro, eius atatis, vel ea atate. Id temporis: pro eo tempore. Id genus alia: pro, eius generis. Non sum id nescius: pro, eius rei nescius. Vel particularum indeclinabilium: ut, Terent. Visam si domi est: pro, an, sit. Idem, Nescio, nisi Deos fuisse iratos mihi satis scio, qui illi auscultaverim: pro, sed. Est cernere. Est videre: pro, licet, &c.

Ad Enallagen Græcam spectat, Cùm Infinitivi pro Gerundiis, vel Supinis ponuntur: ut, Nunc tempus est dicere, quæ sentias: pro, tempus dicendi. Virg. Soli cantare periti: pro, cantandi. Plaut. Venerat aurum petere: pro, petendum. Livius: Se missos rogare Hannibalem: pro rogatum.

Græcæ

Græca Antimeria est, cum nomen pro adverbio ponitur: ut, *Virg.* Nec minus *Aeneas* se matutinus agebat: pro, manè. Idem, Nec gregibus nocturnus obambulat: pro, noctu. *Plinius.* Hæc singula & matutina & vespertina dantur: pro, dantur manè & vesperi. Idem, *Inclusumq;* cavo saxo, atq; insuetarudentem: pro, insueto modo. Idem, *Nec sera comantem Narcissum:* pro, serò comantem, seu florentem.

Quid est Anacoluthon?

ANACOLUTHON, Latinè Inconsequencia, est, cum ab eâ, quæ in propositione ponitur, dissidet vox, quæ adhibetur in redditione: ut *Terentius:* Omnia prius experiri, quam armis sapientem decet: pro, arma. Idem *Phorm.* Si hoc celetur, in metu: sin patefit, in probro ut siem: pro patefiat. *Cicero:* Quæ ne singula enumerem, totam tibi domum commendo: in his adolescentem filium: pro, in hac domo.

Quid est Archaismus?

ARCHAIS.

ARCHAISMUS, Latinè Antiquitas, est antiqua quædam atque obsoleta loquendi ratio: ut, Terent. Ille instat factum, id est, instat dicere factum esse. Idem, Quod plariq; omnes faciunt adolescentuli: pro, plariq; adolescentuli. Idem, Id mihi anus indicium fecit: pro, indicavit. Idem, Tute illorum officia fungere: pro, officiis. Idem, Patria potitur commoda: pro, commodis. Idem, Bona mea utantur: pro, bonis meis. Idem, Operam abutitur: pro opera. Plautus: Quid tibi hanc rem Curatio est: pro huius. Virg. Parce metu: pro, metui. Idem, Venatu invigilant pueri: pro venatui. Idem, Expectate venis: pro, expectatus. Plautus: Moriri se miserè mavolet, quam non perfectum reddat, quod promiserit: pro, mori mâlet. Terent. Ubi ille miser famelicus videt me esse in tantum honorem: pro, in tanto honore. Ad Archaismum & illa referrî possunt: Gratulabundus patriæ: pro, gratulans. Populabundus: pro, populans. Vitabundus castra hostium: pro, vitans.

De

De Figuris Syntaxeos ordinis IV.
ad transpositionem verborum
pertinentibus.

*Quæ Figurae pertinent ad Trans-
positionem?*

Quæ integram itidem connexio-
nem verborum, sed ordinem minus di-
rectum aut planum conservant. Huius
classis sunt hæ figuræ sex: Hyperbaton,
Hysterologia, Hysteronproteron, Tme-
sis, Parenthesis, Synchronismus.

Quid est Hyperbaton?

HYPERRATON, Latine Trajectio,
Transgressio, est legitimi ordinis con-
struendi perturbatio: ut, *pro lege Mani-
lia: Cum nondum per aetatem huius auctori-
tatem loci contingere auderem: pro, huius loci
auctoritatem. Ibidem, Quinquagesimo die
totam ad imperium populi Romani Cilitiam
adjunxit. Hic inter totam, & Cilitiam, contra
legitimum & simplicem construendi ordinem,*
inter-

interijciuntur hac: Ad imperium populi Romani. Sic in isto: Animadverti, ludices, omnem accusatoris Orationem in duas divisam esse partes: pro, in duas partes esse divisam. It. in hoc isto: Hoc aditu laudis, non mea me voluntas, sed mea vita rationes prohibuerunt: pro, mea voluntas me. Item in isto: In medio relictum quod erat, populo Romano adjudicavit, pro, quod relictum erat. Caesar: Diu cum esset pugnatum: pro, Cum diu, &c. Referenda huc Anastrophe, Latinè Inversio, Cum Præpositiones casibus suis postponuntur: ut, Virg. Italiam contra. Idem, Maria omnia circum. Idem, Spemq; metumq; inter. Horatius: Quem penes arbitrium est. Ovid. Re sine nullus eris. Talia sunt: Multa de nocte. Cuius in labris. Cuius cum patre.

Quid est Hysterologia?

HYSTEROLOGIA, Latinè Præpostera locutio, est, Cum Præpositio non cum eo casu, quem requirit, sed cum verbo tanquam cum eo composita conjungi.

jungitur. *ut, Tyriam quid adveneris urbem.*
pro: ad urbem. Idem, Summas perlabitur undas:
pro. per undas.

Quid est Hysteronproteron?

H Y S T E R O N P R O T E R O N, sive **Prot-**
hysteron, est inversus sententiæ ordo,
 quod id, quod plurimum esse debet, se-
 cundo loco ponitur. *ut, Terent. Valet, atq;*
vivit: pro vivit, atq; valet. Virg. Moriamur,
& in media arma ruamus. Idem, Referes ergo
hæc, & nuncius ibis Pelidæ genitori.

Differt hæc ab Anastrophe & Hysterologia,
 quod illa sint dictionum; Hysteron verò pro-
 teron sensuum.

Quid est Tmesis?

T M E S I S, seu **Diacope**, Latinè **Se-**
ctio, **Divisio**, est, Cum dictionis compo-
 sitæ junctura solvitur, unâ vel pluribus
 dictionibus interpositis. *ut, Per mihi gra-*
tum feceris. Terent. Maximo te orabat opere.
Idem, Quæ meo cunq; animo lubitum est fa-
cere. Virg. Septem subjecta trioni.

Quid

Quid est Parenthesis?

PARENTHESIS, Latinè Interpositio, est ordinis dissolutio per interpositam sententiam aliquam conclusam, duobus semicirculis, quâ ablatâ nihil videatur detractum totius Orationis sensui: ut, *Terent. Si evenerit (quod Dii prohibeant) discessio Ovidius: Finem qui quæris amori (cedit amor rebus) res age, tutus eris.*

Hæc Figura voce paulò suppressiore est à contextu separanda.

Quid est Synchisis?

SYNCHISIS, Latinè Confusio, est ordo verborum ex omni parte perturbatus: ut, *Virg. Æneid 1. Tres notus abreptas in saxa latentia torquet: Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus aras. Verborum in his versibus ordo est. Notus tres naves abreptas*

torquet in saxa, quæ saxa, in mediis flu-

ctibus latentia Itali vocant


aras.

F I N I S.

Series

Series Figurarum Grammaticarum.

<p>Figura Grammatica sunt duplices:</p>	<p>Dictio- nis, qua- rum alia referun- tur ad</p>	<p>Ortho- graphi- am, ut</p>	<p>{ Prosthesis, Epenthe- sis, Paragoge, A- phaeresis, Syncope, Apocope, Metathe- sis, Antithesis.</p>
	<p>Profon- diam, ut</p>	<p>Redun- datia, ut</p>	<p>{ Diæresis, Synæresis, Synalæphe, Ethli- psis, Etasis, Systole. Epithete, Epithe- ton, Pleonasmus, Perissologia, Tautö- logia, Macrologia.</p>
	<p>Oratio- nis, occu- pata in verbo- rum</p>	<p>Defe- ctu, ut</p>	<p>{ Eclipsis, Apoptose- sis, Syllepsis, Zcu- gma, Prolepsis, An- antapodoton.</p>
	<p>Immu- tatio- ne, ut</p>	<p>Trans- positi- one, ut</p>	<p>{ Hypallage, Hendya- dis, Enallage, Syn- thesis, Hellenismus, Anacoluthon, Ar- chaismus. Hyperbaton, Histe- rologia, Hysteron- proteron, Tmesis, Parenthesis, Syn- chysis.</p>
	<p>T</p>		<p>IN.</p>



INDEX FIGURARUM GRAMMATICARUM.

A.

A <i>ἄνωσις</i>	21
Anantapodoton	17
Anacoluthon	29
Anastrophe	32
Antithesis	4
<i>ἄντιστοιχία</i>	4
Antiptosis	21
Aphæresis	3
Apocope	3
Antimeria	19
Aposiopesis	12
Appositio	8
Archaismus	29

D.

Diaplasiasmus	2
---------------	---

Ἄλλ.

Διάλυσις	5
Διάρρηξις	5
Διασπλι	6
Diacope	33
Diæresis	5

E.

Ecthlipsis	6
Ectasis	6
Eclipsis	11
Enallage	19
Enallage casuum	21
Generum	21
Numerorum	22
Personarum	22
Modorum	23
Temporum	23
Partium indeclinabilium	24

Epenthesis	2
Ἐπέκτασις	2
Ἐπισηλωσις	5
Epithece	8

T 2

Epithe-

Epitheton		8
Evocatio		20
	<i>H.</i>	
Hellenismus		25
Heterosis		20
Hendiadys		18
Hypallage		18
Hyperbaton		31
Hypozeugma		16
Hysterologia		32
Hysteronproteron		33
	<i>K.</i>	
Κεάβη		5
	<i>M.</i>	
Macrologia		11
Μεσολόγυμα		16
Metathesis		4
	<i>P.</i>	
Paragoge		2
Παραγωγή		2
Pareclon		9
Parenthesis		34
		Perif.

8	Perissologia	9
0	Prosthesis	2
	προπαραλήψις	3
5	Pleonasmus	9
0	Prolepsis	16
8	Prozeugma	16
8		
	S.	
31	Syncope	3
6	Synæresis	5
2	συνεκφώνησις	5
3	δωρίζησις	5
	Synalœpha	5
5	Systole	6
	Syllepsis	13
1	Syllepsis Generum	14
6	Numerorum	14
4	Personarum	14
	Casuum	14
2	Synthesis	24
2	Synecdoche	27
9	Synchysis	34

T.

Tme-

Τμεσις		33
Ταυτολογία		10
	Υ.	
Υπόζυγμα		16
Υσερολογία		33
Υσθρον πρότρον		33
Υπέμβατον		32
	Ζ.	
Zeugma		15

F I N I S.



3
0
6
33
3
2
5

... mit ...



Konrad Dieterich

1575-1639

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Libellus

FIG V =

GRAMMA-
TICIS

*Schola Altenbur-
nsis editus*

à

J. H. HAMME-

HOLÆ EIUSDEM

Rectore.



Joachimum Krusicken.

M.DC.XIII.

2

